



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Philosophistæ Seu Excerpta Pauca Ex Multis Libris, Thesibus, Dictatis Theologicis**

[S.l.], [ca. 1692]

1661. Georgius De Rhodes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39173**

PHILOSOPHIÆ.

7

BERNARDUS DE ALDERETTE.

I. PARS.

*Bernardus de Alderette Jesuita item Hispanus eadem sentit ac scribit de peccato Philosophico ac Joannes de Lugo, cujus nimirum verba ipsa describit in Tractatu de Incarnatione Disput. 7. sect. 2. Editionis Lugdunensis 1652. quo anno duos in 3. Partem Tomos vulgavit.*

GEORGIUS DE RHODES.

*Georgius de Rhodes Jesuita Gallus doctrinam de peccato Philosophico fusè tradidit in sua Theologia Scholasticâ editâ Lugduni anno 1661. tom. 1. Disput. 1. de peccatis q. 1. sect. 1. parag. 2. pag. 389. Controversia, inquit, nascitur inter Theologos celeberrima, utrum peccatum mortale in materiâ gravi & mortali, v. g. furtum & adulterium, esset peccatum mortale dignum æternâ pœnâ & privatione gratiæ, in eo qui Deum & legem æternam ignoraret, vel certè qui actu illam non consideraret. Tunc enim haud dubiè peccatum non haberet rationem offensæ Dei, haberet tamen rationem peccati. Et infra: Peccatum mortale in iis qui Deum vel omninò ignorant, vel non actu considerant, verè nihilominus peccatum est grave: sed nullo tamen modo est Dei offensa, neque peccatum mortale dissolvens Dei amicitiam, neque dignum æternâ pœnâ. Et rursum: Respondeo duplicem in peccato considerari posse gravitatem. Prima est purè moralis, altera est Theologica, quæ consideratur solùm à Theologis, cùm altera Philosophis nota sit. Homicidium ergo factum cum inadvertentiâ ad Deum*  
habe-



I. PARS. haberet priorem illam gravitatem, non autem posteriorem, per quam peccatum mortale constituitur, & homo fit indignus Dei amicitia.

## JOANNES MARTINON.

1663.

*Joannes Martinon etiam Gallus in suo Opere in folio Parisiis edito anno 1663. sic discurret Disp. 15. de peccatis sect. 1. n. 8. Difformitas peccati dupliciter spectari potest. 1. Quatenus repugnat naturæ rationali ut tali: & sic dicitur PECCATUM PHILOSOPHICUM, quia sub eâ ratione consideratur à Philosophis moralibus. . . . 2. Quatenus repugnat Legi Dei pro suo jure exigentis oppositum: & sic dicitur offensa Dei vel injuria, & PECCATUM THEOLOGICUM. Et infra: Multi peccant agendo contra rationem, qui finem ultimum sibi non proposuerunt, aut de illo non actu cogitant, neque advertunt se à fine deflectere. . . . Multi peccando non cogitant semper de Lege divinâ, neque de Deo, neque de Gratiâ supernaturali, de quâ plerique infidelium nihil unquam audierunt.*

1664.

## THOMAS COMPTONUS CARLETON.

*Anno subsequente 1664. P. Thomas Comptonus Carleton Anglus, hac habet Tom. 1. Theol. Scholast. Disp. 104. sect. 4.*

Diximus ratione diversæ deliberationis, seu advertentiæ, peccatum veniale transire posse in mortale: nunc ergo videndum quo pacto advertentia ad rationem peccati concurrat, & num semper requiratur, præsertim cum detur peccatum inadvertentiæ. Dicendum cum P. Vasquez hic d. 107. cap. 3.

Tan-